

et precipue contra Jadratinos seu in ipsorum prejudicium, generaliter vero statuere et ordinare liceat pro libito voluntatis. Item fuit actum et conventum inter dictas partes dictis nominibus, quod bona immobilia singularum personarum existencia in Veneciis vel territorio dicti communis Veneciarum, que tempore inchoationis presentis guerre erant aliquorum subditorum dicti domini regis seu per eos possidebantur, restituantur eisdem, et in eo jure possessionis et dominii quo tenebantur tempore inchoationis presentis guerre. Et eodem modo omnia bona immobilia singularum personarum de Veneciis, vel eorum territorio existentia in territoriis prefati serenissimi domini regis dictis singularibus personis restituantur in eo jure possessionis et dominii, quibus tenebantur ante presentem guerram. Item fuit actum et specialiter conventum inter dictas partes dictis nominibus, quod de debitis ad que subditi unius partis tenebantur subditis alterius partis tempore inchoationis presentis guerre fiat justicia perinde ac si presens guerra non occurrisset. Item quod Veneti cum aliqua galea vel galeis armatis intrare non possint aliquem portum de Catanea dicti domini regis seu subditorum suorum contra voluntatem habitantium seu tenentium dictum portum. Item fuit actum et specialiter conventum inter dictas partes dictis nominibus, quod dicto domino regi restituantur omnes terre loca et castra, que per commune Veneciarum tenentur, que dicto domino regi ablata fuissent per Venetos tempore presentis guerre, et specialiter civitas et castrum Chatari. Et versa vice dictis domino duci et communi Veneciarum restituantur omnes terre, loca et castra, que per dictum dominum regem tenentur, que dicto domino duci seu communi Veneciarum ablata fuissent tempore presentis guerre. Acto tamen inter ipsas partes quod vigore hujus capituli prefatus dominus rex non sit obbligatus, quoad Trivisum et terras et loca traditas et tradita domino duci Leopoldo per dominum ducem et commune Veneciarum in Trivisio et territorio Trivisino, seu que per dictum dominum Leopoldum detinentur, nec